

Mente colant, qui homines opera ad præstantia doctos  
 Excitat, atq; fouet dignatus honoribus amplis,  
 Artifices rerum & naturæ arcana professos.  
 Quid non se totus debere fatebitur orbis  
 Vrbi: ex qua terræq; plagæ, tractusq; marini,  
 Ventorumq; situs, & magna uolumina cœli,  
 Cum spacijs, stellisq; suis descripta Schoneri  
 Ingenio, magnum latè mittuntur in orbem?  
 Ipse sibi per quem mundus coniunctus ouabit,  
 Qui distractis imperijs, bellisq; laborat,  
 Namq; hîc terra polo confertur, & aurea cœli  
 Lumina siderei humanos referuntur ad usus.  
 Hinc qui cœruleum latè maris æquor arandum  
 Classibus ingressi, medijs in fluctibus errant,  
 Prospicient longè repetitæ littora terræ,  
 Quas teneant oras, qua uentus parte respiret,  
 Lucida quin cœli quoq; docti signa notabunt,  
 Et pluuias Hyadas, Capramq;, & Atlantidas omnes,  
 Ac geminas Arctus, auro Oriona nitentem,  
 Cum canibus geminis, Aquilam, Arcturumq; Bootis,  
 Atq; lyræ pulchrum sidus, per quam Orphea cantu  
 Mouisse & superos, atq; infernalìa Regna,  
 Cum syluisq; feras, & saxa sequentia fertur.  
 Et reliqua astriferum pingentia lumina cœlum,  
 Atq; alacres oculos tollentes arte uidebunt,  
 Signifer obliquo quâ tendat limite flexus,  
 Atq; parallelorum, stellarumq; rotunda  
 Tramite ubi recto flexoïe uolumina currant,  
 Austrinus qua parte polus, quaue Arcticus extet,  
 Cur diuersa educat equos, aliaq; reducat  
 Parte suos Phœbus cum sex Erronibus. Inde  
 Quæ uariant arcus nocturnos, atq; diurnos  
 Causæ stellarum, Solisq;, Quis orbibus ordo,  
 Pugnet ut alternis fraterq; sororq; tenebris,  
 Vt uariant ortus Lunæ, quæ sidera tangat  
 Cynthia concursu facto, in quæ signa uehantur  
 Sidera signiferi uarias obeuntia metas.  
 Sic notis stellis uires quoq; noscere promptum est  
 Ætherias, tempestatumq; agnoscere signa,  
 Ergo Atlas tot siderea sub mole labores  
 Qui tulit, ipse aliqua gaudebit parte leuatus,

Tanti